

Consanguineorum aspectus, ac conversatio valde nociva, ac exitialis his, qui Christum sequuntur; quovis enim pretextu ad eos devenias, recessus à via salutis maxime formidari potest.

Basil.

Beda.

Arguuntur Religiosi secularium domos frequentantes.

83.

Euthym.

Oculos habeamus in Deum deservos.

Chrysof.

84.

Euthym. Bonus miles attendat, non ad ea, quae sunt elaboranda restans.

Ezech. 17.

85.

Gregor.

Qui retro creditur ad praeferita mala, indignus ad caelestia.

Athanas.

86.

Caelius.

nam consanguineorum aspectus, ac conversatio valde nociva, ac exitialis his, qui Christum sequuntur; quovis enim pretextu ad eos devenias, recessus à via salutis maxime formidari potest. Hanc sententiam ita confirmat D. Basilus in regulis brevioribus, interrogatione 179. Quod si de eo, qui renuntia e tantum voluerat, tale iudicium est, quid de aliis dicendum est. Unde bene multos Religiosos arguit in praesenti Beda. Si autem secutus Dominum discipulus, qui vel domi renuntiare velit, a quibus; quid fiet illis, qui nulla utilitatis gratia sepe visitant domos illorum, quos in mundo reliquerunt.

Quarto ponderandum est, quod non dixit dominus rediens, retrò, sed respiciens retro. Quod videtur notare Euthymius ibi. Oportet eum, ait, qui sequitur Christum, confestim omnia despiciere, & sequi, ne oculos quidem ab eo divertendo, ne forte habitum, & specie eorum, quae à tergo sunt, retineatur. Qui in sequela Christi vult proficere, ad unum tantum habeat defixos oculos, & mentem, nempe ad Deum, ut nihil aliud attendat, nec pro brevi puncto ab eo separari valeat. Unde ait Chrysofostomus: Omnia opera bona tunc mercedem habent, quando ad finem usque continuantur: sin verò interrumpantur, non parvum exiit naufragium.

Quinto idem Euthymius. Qui arare conatur, ait, & à tergo respicit, corrumpit conatus promptitudinem segnitie, quae à tergo respicit. Bonus miles, ut proficiat in militia Domini, ne respiciat, quae à tergo sunt, sed illa, quae ante oculos existunt, inspiciat. Inter quae hoc est discrimen, nam quae à tergo sunt, jam elaborata consistunt, quae verò ante faciem posita, efficienda restant. Bonus Christi miles consideret, non quod elaboraverit, sed quantum ei super sit, quanta agrorum spatia aratri vomere proficenda ei incumbat. De illis caelestibus spiritibus, ait Ezechiel, 1. num. 9. Ubi erat impetus spiritus, illic gradiebantur, nec revertentur, cum ambularent. Ecce agitati à divino Spiritu tendunt ad ea, quae ante faciem sunt, & ambulanda restabant, & non revertentur ad ea, quae à tergo, & jam trita erant.

Sextò D. Gregorius homil. 3. in Ezechielem, sic ait: Manum mittere ad aratrum, est, per quandam quasi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordium boni operis ad mala revertitur, quae reliquit. Qui incipit, à peccatis, ac malis desistere, & manum mittit ad aratrum, ut compunctionis vomerem tor suum proficindere, Deoque aperire aggrediatur; & tamen ab hoc proposito retrogreditur, & ad mala revertitur, quae reliquit, talis ad regnum Dei non est aptus, cum magnum sit peccatum relapsus, à Deoque graviter puniatur. Nam, ut ait D. Athanasius in Catena Graeca. Verti autem, nihil aliud est, quam mutare consilium, & denuò mundana sapere.

In confirmationem hujus rei mulierem Loth in Sodoma retrò respicientem perbellè ponderat Caelius Sedulius lib. 1. Paschal. operis, cap. 5. Loth peritura fugiebat à Sodoma, cujus uxor incauta praesumptionis audacia, dum respicit, quae evasit, mutata salis remansit in statua, non pro sapientia, sed pro poena. Nullus enim ad contempta semel mundi discrimina, praecipit rursus cupiditate, conversus, jucunda salutis latitia perfructur. Nec enim dignum est arator ille ventura fructuum selici-

tate gaudere, qui sulcum vomeris, recto cursu firmamdi retroversi vultus aversione confundens, praeteriti laboris ordinem distorrit. Quae optime pro nostro insinuat sunt d. & c. Et primò ponderandum est illud, Mutata salis remansit in statua, nota pro sapientia. Sal significat sapientiam, ut planum est: si verò insulsum, seu corruptum efficitur, delectia. notat infatuitatem, ac rem proflus inutilem, solum pedum conculcationi inservientem, Matib. 5. num. 14. & Marc. 9. num. 45. Dum hæc mulier oculis revertitur ad civitatem, quae jam exierat, statua salis efficitur, non quod sapientiam denoter, sed quod fatuitatem, ac jacturam suae praevagationis indicet. Et tandem maxime expendenda sunt illa ultima verba: Retroversi vultus aversione confundens, praeteriti laboris ordinem; ille enim, qui retrovertitur, totum dissipat ordinem, fructum, ac proventus antea facti laboris.

Et optime tota hæc doctrina stabilitur à sancto Nilo, citato in catena Graeca. Quid autem, ait, lex indicat, quae praecipit etiam, ingressus in templum, postquam una persolverit, non per eandem portam egrediaur, per quam ingressus fuerit, sed per oppositam, quo rectum iter faciat, & non revertatur retro? Assidue enim ad ea, à quibus discessimus propensiones, propter consuetudinem non retrahunt, & vigorem ad priora laxantes, progredi non sinunt, sed ad pristina mala redire compellunt. Magna vis magna est enim consuetudinis vis ad se nos trahebit, nec ad priorum virtutis habitum reverti permittit. Ex consuetudine siquidem habitus, ex habitu natura perficitur. Naturam porò movere, aut mutare, difficillimum est: licet enim paulisper inclinetur, & celeriter tamen ad se ipsam recurrit. Quod satis totum eleganter est dictum: Maximè timendus est intuitus relictæ saeculi; nam iterum saecularem habitum induere facit, ex quo natura innascitur: naturam verò à movere, difficillimum, nam quamvis aliquantulum declinet coacta, velociter, ac promptè ad se ipsam redit.



CAP. XXIV.

Sedatur tempestas in mari.

Matth. 8. n. 23. Ascendente eo in naviculam, secuti sunt cum discipuli ejus.

VERSIONES.

Syriacus. Cum conscendisset navem, conscenderunt cum eo discipuli ejus.
Vatablus. Cum ingressus esset navim.
Graecus. Ingrediente eo.

ALTER TEXTUS.

Marc. 4. n. 35. Ait illis in illa die, cum serò esset factum, transeamus contra.

Ibid.

Cap. XXIV. Sedatur tempest. in mari. 537

Ibid. num. 36. Et dimittentes turbam assunt eum ita ut erat in navi: & aliae naves erant cum illo.

Lucæ 8. n. 22. Factum est autem in undecim diebus: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transeamus trans stagnum, & ascendentur.

EXPOSITIO.

1. Q UUM Dominus vidisset circa se turbas, iussit suis discipulis transfratere. Et tamen supervenientibus Scriba, & duobus adolescentibus, eos intravit in via salutis, ac veritatis, ut totum vidimus superiori c. à n. 1. Nunc verò ait suis discipulis: Transeamus contra, ut scribit Marcus, seu, Transeamus trans stagnum, ut narra Lucas. Optime sanè verbum Imperatoris, & dicit: Transeamus, non enim suos jubet abire in mare, ac in periculum, & ipse manet domi deliciis indulgens: sed simul cum eis pergit; & dum praecipit, simul ipse vadit, ac prius ascendit. Et ideo dicitur: Secuti sunt cum discipuli ejus; quia, ut notat Abulensis, Christus prius intravit in naviculam, quam illi, quia Christus erat Dominus, & quo vadit Dominus, vadunt famuli. Et ponderandum est illud verbum, quod apponit Marcus: Transeamus contra; hoc est, ad aliam partem stagni. Moraliter, De hac terra ad caelestem, ac ad viam salutis, quae huic in saeculo contrarium habet vivendi modum, ut notavit Chrysofologus serm. 21. Transeamus contra, ait, de terrenis ad caelestia, de praesentibus ad futura. Et bene contra, quia divina semper contraria sunt humanis. Et ideo ad hanc viam peragendam discipuli dimittentes turbam, hoc est multitudinem, quae à turbando dicitur, ut jam alibi ex Alberto Magno notavi, ascendunt.

2. In naviculam. Quamvis alij Evangelistae scribant navim, & ex Graeco ita legi possit; tamen interpres per diminutivum transfert, quia in lacu illo Genezaeth, cum ibi essent naves ad capturam piscium, non altae, & magnae molis erant. Moraliter Carthusianus advertit, quod Dominus non ascendit navem sublimem, & altam; sed naviculam pauperum, ac piscatorum: in quo ejus humilitas commendatur. Dominus humilia quaerit, & humilia ei placent. Secuti sunt eum discipuli ejus. A suo magistro, ob ejus amorem, non valent discedere.

3. Notandum est, quod quamvis ibi essent aliae naves, ut advertit D. Marcus: Et aliae naves erant cum illo, hoc est, in ejus societate; tamen discipuli non ascendunt in aliam navim, nisi ad eam, in qua Christus erat, quia ad hanc eos vocavit. Si quis ergo vult secare peragere cursum hujus vitae, non aliam navim eligat ad iter conficiendum, nisi eam, ad quam Christus eum vocavit. Deinde navis est Ecclesia, seu fides, ut infra dicam. In eandem navim, in qua est Christus, ascendunt discipuli, quia ad salutem habendam requiritur, ut ambulemus in fide, ac Ecclesia Christi, quae est

Bonus principis, qui pergit cum suis.

Abulens.

Si dux praerit, miles sequantur.

Chrysofolog.

Vita caelestis contraria terrenae.

2.

Carthuf. Christus semper humilia quaerit. Amor discipulorum.

3.

Vis securè degere? Eo, quo te Deus vocavit ordine vive. Fides una, & vera in Ecclesia Catholica.

una, nempe sancta, ac Romana, & Catholica Ecclesia. Advertit D. Marcus, quod discipuli assunt eum, prout erat in navi, id est, ita discipuli assumpserunt Christum in altam mare ad illud transferendum, ut ipse Christus erat sedens, & docens. Ingeniosum documentum considerat Chrysol. Chrysofologus citato serm. 21. Assunt eum, ait, ut erat in navi; laus fidei est, ita Christum recipere, ut est, ut habetur in navi, hoc est, in Ecclesia. Quilibet non velit Christum recipere, ac sibi accommodare juxta suam voluntatem, ac beneplacitum; sed illum recipiat, & in eum credat, ut est in navi, ut illum nobis proponit sancta Catholica, ac Romana Ecclesia, quae est ista navis.

Tandem hic duo advertenda. Primò. Motivum, ob quod Christus decrevit, transire mare, jam illud explicavi superiori cap. quæst. 1. Secundo, quod hoc stagnum, erat mare Galilææ, cujus latitudinem, ac longitudinem jam explicavi supra da. cap. 8. n. 3. ibi dicta videnda.

QUESTIO I.

De tempore, ac ordine rei gestæ ad antecedentia.

DE hac questione breviter dicam, quam latius alij disputant. Dicendum est tamen, quod ordine temporis hæc historia immediate sit continuata ad præcedentia, quae explicavi superiori capite, ut scribit D. Matthæus, & notarunt D. Chrysofostomus homil. 29. in Matth. Victor Antiochen. in 4. Marc. D. Augustinus lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 25. Abulensis q. 70. Alb. Magnus, Carthusianus, & alij hic. Unde D. Alb. Magnus, & Lucas hoc loco non servarunt ordinem temporis, siquidem prius narrarunt quoddam parabolas, de quarum intelligentia interrogarunt duodecim Apostoli, Marc. 4. num. 10. Et tamen pro hoc tempore, quando hæc tempestas contigit, adhuc Apostoli non erant electi, nec Matthæus vocatus, ut planum est, siquidem Matthæum ad se traxit postquam iterum transfretavit ac reversus est in civitatem suam, Matth. 9. num. 1. & 9.

Unde Lucas scribens hanc historiam, ait: In una diebus; hoc est, in quadam die. Et Marcus: In illa die, quod idem est, ut ait Euthymius, ac in una diebus, seu in illo tempore, non in illo, in quo parabolas prædicavit, sed in alio, quod Evangelista indefinitè significat. Marcus: Cum serò esset factum; per quod denotatur, quod hæc tempestas nocte contigit. Nam Christus Dominus convenienti diei tempore, iussit suis transfretare. Matth. n. 18. tamen quia supervenerunt Scriba, & duo illi juvenes, de quibus omnibus egi superiori capite, in quibus instruendis moram contraxit Dominus, inde serò factum est. Hæc est enim eximia Christi charitas, quæ potius attendit ad nostram salutem, quam ad suas commoditates, & pro nostra utilitate omnes suas commoditates postponit, & contemnit. Et hæc de causa nocte se pelago committit.

Cum Judei sevirerent in Christum itant jam designarent ministros ad eum apprehendendum, ait, Dominus: Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, Joan. 7. num. 33. Hæc dixit eximia

Chrysol. Cum Christi ut erat in navi; laus fidei est, ita Christum recipere, ut est, ut habetur in navi, hoc est, in Ecclesia. Quilibet non velit Christum recipere, ac sibi accommodare juxta suam voluntatem, ac beneplacitum; sed illum recipiat, & in eum credat, ut est in navi, ut illum nobis proponit sancta Catholica, ac Romana Ecclesia, quae est ista navis.

Chrysol. Antiochen. August. Abulens. Alb. Magn. Carthuf.

Chrysol. Antiochen. August. Abulens. Alb. Magn. Carthuf.

Resolutio quaestionis.

Euthym.

Christus pro nostro bono, tempus suum committit.

Joan. 7.



Christus so- lum ad no- stram com- moditatem ascendebat.

Theophyl.

3.

Luc. 19.

Christus no- stra potius bona, quam suas commo- ditates vole- bat.

Cajet.

Euseb. Gall.

eximia charitas Christi veluti quasi delectat, quod adhuc parum temporis reser, quo eum hominibus commoretur. Quid vis, Domine, adhuc cum hominibus degere? Nonne ipsi toto pectore anhelant, ut te capiant, atque ut cruci, & morti tradant? Ergo potius videbatur gaudendum, eo quod jam instabat tempus, ut hos relinqueret, & abiret ad Patrem, cum eo sempiterna gloria regnaturus. Ea tamen erat ingens Christi charitas, quae non tantum attendebat ad dies suae quietis, & gloriae, quantum ad tempus nostrae salutis, & commoditatis, & ideo quamvis homines ei crucem parant, vult adhuc cum eis versari, ut eos valeat erudire, ac eorum indulgere salutem. Theophylactus. Dum Dominus ait: Parvo tempore vobiscum sum; sensum habet hic: Etiam si persecuti fueritis, etiam si abnegaveritis, ego adhuc vobiscum sum: hoc est, pro vobis curam gero, & loquor ea, quae ad salutem vestram spectant.

Ingressus Iesus Ierusalem, & magno applausu excipitur substratis in via ramis, palmis, ac vestimentis ingentis populi, & voces per aera resonabant: Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini. Et cum progrediret, accederetque ad civitatem, ait D. Luc. 19. num. 41. Ut appropinquavit videns civitatem, flevit super illam. Quia si cognovisset & tu, & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui. Valde mirum, quod inter tot signa laetitiae, ac triumphi Dominus in lachrymarum fletu prorumpit, dum ut praesentem, futuram videt desolationem civitatis, non enim tantum ei ante oculos obverfabatur tempus suae majestatis, quantum nostrae salutis, ac commoditatis: & ideo lachrymarum in die suae laetitiae, veluti illum contemnens, dum civitatis desolationem considerat. Cajetanus. Inter tot honores sedens super asinum flet, non extollitur, non magni facit honores, qui fletum non continet compassionis. Sed si Dominus oculos dirigens in civitatem lachrymarum fluvios emittit ob illius desolationem, cur potius non deplorat suam crucem, & mortem, quae ibi parabatur? ita enim mente rapiebatur ad ea, quae hominum erant, ut sui obliviscens potius ad illa attenderet. Eusebius Gallicanus homil. in Domin. 10. post Pentecostem. Ut igitur, ait, appropinquavit civitatem in suam necem conspirantem, non de sua morte, lachrymarum, sed de illius ruina, & perditione flevit. Vide cap. 1. n. 24. c. 3. n. 57. & 58. num. 70. & cap. 5. n. 261. & cap. 20. num. 44.

QUESTIO II.

Quare discipuli secuti sint Dominum?

LITERALIS ratio hujus rei jam patet ex dictis. Nam Dominus iussit eis transfretare, ut constat ex hoc cap. 8. Matth. num. 18. Et, ut etiam referunt Marcus, & Lucas, iterum eis Dominus dixit: Transseamus contra, quod intellego dictum post illos duos juvenes instructos, ut explicavi superiori capite, ac proinde discipuli, ut boni ministri, imperata sibi faciunt, quod valde suaviter fit, quando Dominus praecedat exemplo, ut hic in praesentiarum. Et maxime hic obe-

symanna xpianio.

dientia Apostolorum notanda, quamvis enim, ut advertit D. Marcus, sero esset, nullus tamen discipulorum aliquid dixit, vel replicavit, quod nimis mirum vesper esset, & tempus incommodum, sed absque ullo verbo prolato mandata exequuntur. Vide tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 171. & hoc lib. cap. 8. num. 93.

Secundo respondet D. Chryostomus hom. 29. in Matth. sic dicens: Assumpsit autem eos non frustra, neque casu, verum ut futuri signi eos faceret spectatores: nam ut palestra magister optimus ad utrumque eos exercebat, ne aut terrore vincerentur in periculis, aut honoribus efferrerentur: ita ne magnum quid sibi arrogent, quoniam aliis omisiss ipsos tantum secum retinuit, ut in tempestatem incidant, permittit, & simul in ferendis fecit meliores. Multa, & praecleara in praesenti docet. Primum. Ut eos futuri signi faceret spectatores. Ut ita maxime corroborarentur in sua fide, ac doctrina. Et solum alium in navicula suos discipulos, & non alios, ut futuri signi spectatores, ac testes fierent: nam solus amicus, ac tibi benevolus, tuas laudes videt, & agnoscit. Vide lib. 2. cap. 6. n. 60. & lib. 3. cap. 3. n. 6. & 7. & hoc lib. 4. cap. 8. num. 25. & cap. 5. num. 25. Secundo. Vult Dominus suos exercere, ne periculis, ac terrore concutiantur, ac vincantur. Deinde ne honoribus exollantur, dum se vident praeter ceteros admissos, ideo ut humilientur, tempestate laborant: semper enim bonorum apices, ad veritatem voragine secum asportant. Vide cap. 6. n. 31. & 32. Tertio eandem. Et simul in ferendis fecit meliores, nam virtus, dum vexatione, ac pressura premitur, crescit, & augetur. Vide cap. 5. n. 7.

Tertio D. Basilii Seleucus orat. 22. sic ait: Aves ubi suos pullos pennis aptos viderint, inde eductos ad volatum exercent. Sic interdum Christus Dominus suos discipulos cum multa de fide docuisset, nunc tanquam doctrina rationem velit reposcere, eos spe, ac timore suspensos tenet, & mare Apostolis in fidei stadium apparet, & assumptis discipulis navigavit ultra. Sicut aves cum primis suos pullos pariunt, non statim exercent ad volandum, sed postquam plumescunt, jamque pennis vident repletos: sic sapientissimus magister ubi primum suos discipulos vocavit, non statim eos periculo maris committit, sed prius altissimo eos sermone in monte instruxit in fide, ac multis miraculis visis solidavit: tunc disponit, eos in mediis fluctibus, irruentibus ventis, magna maris commotione contorqueri atque jactari, veluti reposcens rationem eorum fidei, acceptaque doctrinae, quantumque in ea profecissent: nec enim tyrones, ac imbelles milites Dominus in pericula mittit, sed maxime exercitatos, & cum nos non permittat tentari plusquam possumus, nostrorum donorum acceptorum rationem quaerit. Vide supra. c. 8. n. 83.

Quarto Euthymius. Turbas Dominus dimisit, discipulos autem suos assumpsit propter miraculum, quod in mari facturus erat. Quum enim turbis beneficicia contulisset, sanando languores, ac morbos eorum: videbantur discipuli nullo affecti beneficio, & in hos suam exercebat munificenciam: ac postquam eos permisit in demersionis periculum incidere, demum mirabiliter eripit. Ne aliquis suspicaretur, quod Dominus miracula, ac signa suae potestatis conferebat in turbas & non in suos discipulos, ideo jubet eos Dominus transfretare, ut

Vera obedientia non respondet, sed mandata exequitur.

10. Chryost.

Solus amicus tuus magnalia videt.

Dignitates catenatim secum laborantes afferunt.

11. Basil. Sel.

Antequam ad magna quis mittatur, prius exercetantur.

12.

Princeps extraneis beneficia faciat, & suos donis afficiat.

ab imminente periculo eripiat, ingentique miraculo afficiat dono, ac suam erga eos curam declarat.

13. D. Thom. Discipuli Dominum per crucem equuntur.

Discipulus bonus & magister non descendit.

14. Abulens.

Luc. 10.

Tui cogitationem in sublimitate retine.

15. Homo magis obligatur beneficiis in se, quam in aliis collatis.

Chrysof.

16.

Joan. 4.

Quinto D. Thom. Secuti sunt discipuli. Navicula illa crucem significat, & ascendentem Dominum in crucem secuti sunt discipuli ejus, juxta illud Pauli ad Galat. 6. num. 14. Per quem mihi mundus crucifixus est. Si enim Christus pro nobis crucifixus est, nos enim propter omnia, quae sunt mundi, debemus crucifigere, ut perfecte ipsum imitemur, atque sequamur. Sexto D. Bonaventura in Lucam. Discipuli, ait, ascendent cum Christo, ut ostendatur perfectio comitatus, quia nunquam deserebant magistrum, sicut Elias magistro suo Eliae dixit: Veni Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te, 4. Reg. 2. num. 3.

Septimo Abulensis quast. 73. Eos secum Dominus adducit, ut eos reducere in considerationem suae fragilitatis, nam ex eo, quod Christus magna miracula faciebat, & illi adhaerebant ei familiariter, honorabantur a turbis; & ne ipsi ex hoc gloriantur, maxime quia Christus concesserat illis potestatem praedicandi, & miracula faciendi, ut patet Matth. 11. num. 8. Luc. 9. num. 3. de qua potestate videbantur gaudere, & exultare; nam Luc. 10. num. 17. Reversus sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam demonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Quibus Dominus dixit: Nolite gaudere in hoc, quia spiritus vobis subjiciuntur, sed quod nomina vestra scripta sunt in libro vitae. Ne ergo gloriantur in se ipsis, sed ut in tanta dignitate suam infirmitatem agnoscant, disponit, ut in periculo constituantur, de quo sua virtute non poterant liberari. Vide supra cap. 3. n. 76. & 173. & 178. & cap. 5. num. 64. 65. & 66. & cap. 7. num. 24. & cap. 11. num. 33.

Octavo. Assumpsit Dominus secum in navicula suos discipulos, ut dixi ex Euthymio, ut eos hoc miraculo beneficio prosequeretur, ut ita suam excellentiam, ac majestatem intelligant, & agnoscant: plus enim agnoscimus, & reverentur potentiam, ac magnificentiam alicujus, beneficii, quem accepimus, quam donis, quae in alios videmus derivari, ac collocari. Quod eleganter ponderavit Chryostomus homil. 29. Nam, ait, cum non pariter aliquis sentiat, quae in alienis sunt corporibus, & quae in se ipsa: oportebat discipulos ejus, qui plurimos in dies liberari videbant, ne tale quid ipsi experirentur, & negligentiores erant, ut magis obligarentur, in se ipsi omnipotentiam inspicere: cum nec claudii, nec caeci essent, tempestatem fieri permittit, ut liberati ab ea, manifestatiorem beneficiorum ejus in se sensum habeant.

Videns Regulus filium suum vehementi morbo perurgeri, audiens famam miraculorum Christi, venit ad eum, pro ejus salute deprecatur, ut descenderet in domum suam, ac ei sanitatem donet, dicens ei: Vade filius tuus vivit. Et cum iterum homo pergeret in domum suam, occurrunt servi deferentes faciliam nuntia de pueri salute. Et cum cognovisset, quod a febre dimissus esset illa hora, quae ei dixit Iesus: Filius tuus vivit; subdit Joannes Evangelista 4. num. 53. Creditit ipse, & domus ejus tota. quod de fide perfecta est intelligendum, ut latius explicavi cap. 6. n. 117. Antea enim homo credidit fide imperfecta; non vero perfecta, & consummata. Sed unde iste homo, &

tota ejus familia movetur ad perfectam, consummataque fide credendum, Christum esse verum Deum, ejusque potentiam, majestatem reverendam? Si ob sanitatem puero datam, multa alia, & fortasse majora miracula viderant a Christo perpetrari. Cur illis non inveniunt, ut perfectae Christi divinitatem credant, sed pueri sanitate ad hoc alliciuntur? Multa, & magna erant alia miracula, sed in alios, & extraneos diffusa, & alius collata: at vero sanitas pueri in proprio filio, ac in propria familia diffusa, & concessa. Et multo magis efficaciter nostrum cor movet beneficium in se acceptum, quam multa alia, & praecleara in diversos sparsa, ac diffusa. Euthymius. Nunc perfecte credidit, ubi sanatus est filius ipsius. Antea tot visis miraculis imperfecte credidit, at ubi ipse tantum donum accepit, quod ejus filius recuperaverit valetudinem, tunc perfecte credidit. Vide lib. 1. cap. 11. num. 39. 40. 41. & 42.

QUESTIO III.

Quare soli discipuli ascendunt cum Domino in naviculam, & nullus de turba ingreditur?

SOLI discipuli cum Domino ascendunt, & nullus de turba admittitur, ut patet ex D. Marco, ait enim: Dimittentes turbas assumunt eum. Cur ergo nullus de turba pergit in hac navicula, neque in eam ingreditur? Respondet primo Abulens. quast. 76. Quia Dominus transfretavit, ut turbas declinaret, ut dixi superiori cap. num. 1. Secundo Dominus solum iussit suis discipulis transfretare, ut ibi dixi, & patet ex hoc cap. 8. Matth. num. 18. Turba ergo modestae causae noluit se introrittere in navim, & in mundum moraliter dic, in dignitatem, ac prelationem, ad quam non vocabatur. Vide hoc lib. cap. 50. num. 27. 28. 29. & 30. & cap. 1. num. 58. & c. 19. n. 7. & 8. & cap. 22. n. 85.

Tertio. Et valde notandum, quod huc usque turbae maxime Christum Dominum erant secutae, tam in urbibus, quam in desertis locis: nunc autem Christum navigantem soli discipuli comitantur. Cum Christus deambulat, ac praedicat per terrena loca; miracula operabatur, infirmitates curabat, ac mala omnia fugabat: tunc nullus est, qui cum non sequatur, ita ut turbae eum viderentur conculcare, ac comprimere. At ubi naviculam ascendit, mare periculis plenum ingreditur, pauci, & soli discipuli in ejus concomitatu inveniuntur. Quia si multi, dum beneficia affluunt, tibi adherent, pauci tamen, & rari, dum via ardua, & pericula instant, tibi associantur. Vide cap. 19. n. 48. 49. & 50. & cap. 10. n. 83. & cap. 5. n. 133. & 134.

Quarto. Christus agnovit, quod discipuli sui in periculo erant infirmi futuri, & hac de causa erat ipse inereparatus eos, dicens, Modica fidei. Disposuit ergo, ut turbae ibi non adessent, ne discipulorum viderent defectum, neque Domini reprehensio debet esset secreta, ne criminata propalantur, tum quia non videbatur decensit eos, quos Dominus antea ita laudaverat, dicens: Vos estis

Magis trahitur homo beneficio sibi, quam aliis collato.

Euthym.

17.

Abulens.

Nullus nos vocatus se introrittere in mundum moraliter dic, in dignitatem, ac prelationem, ad quam non vocabatur.

18.

In bonorum affluentia multi sequuntur, sed pauci vero in adversitate.

19.

Reprehensio, si occulte praecipue illius, qui antea fuit laudatus, non debet esse secreta.